

tem, *ly* verò *Objectum* expiandum, hominem. Verba sunt: *Præter arietem expiationum* וְעַל־בֵּרֵךְ אֲשֶׁר יִכַּפֵּר *quo* (ariete expiationum) *expiabit eum*. Græc. auget: οὐδὲ ἐξιλιάσεται αὐτὸς ἐν αὐλῶ. 2. Samuel. XXI, 3. Dixit David ad Gibeonitas: *Quid faciam vobis?* וְכִנְיָהּ אֲנִי & *PER QUID* *satisfaciam*, &c. Ita Schmidtius. Ad verbum: Et in quo, vel, in qua re expiabo. Græc. ἐν τίνι ἐξιλιάσεται. Vulg. quod erit vestri piaculum. Pagn. & quo expiabo. Proverb. XVI, 6. *PER MISERICORDIAM* (בְּחַסֵּד) & *veritatem expiatur iniquitas*. Ita Schmidtius iterum. Esaj. XXVII, 9. *Quare PER HOC* (בְּזֵאת) *expiabitur iniquitas Iacobi*. Schmidtius ita. Quæ simplicissima Versio est.

§. XIX. Itaque & in nostro Textu, בְּנַפְשׁ יִכַּפֵּר vertimus, *PER ANIMAM EXPIABIT*. Facit autem pro hac versione, phrasis hujus perpetuus usus, qui § præcedentē satis manifestè & prolixè ostentus est. Facit adhæc pro ea, facilitas sensus, & cohærentiæ connexionisve simplicitas. Sensus facilis est: Quia sanguis ipse *per animam* expiabit. Connexio est & cohærentia hæc. Anima est in sanguine. Hic sanguis datus idèd est ad expiandum. Ergo, sanguis hic, qui ad expiandum datus est, & ad expiandum animas, per animam, quæ est in sanguine, expiabit.

§. XX. Biblia Hebræa, Lipsiæ impressa, cum Versione Latina interlineari, ita vertunt: *Quia anima carnis in sanguine ipsa*, (in margine pro, *ipsa*, ponitur, *est*) & ego dedi eum vobis super altare, ad expiandum super animas vestras: quia sanguis ipse in anima expiabit. (in marg. pro, *in anima*, ponitur, *animam*.) Simplex verborum expositio, qua verbum verbo redditum est, accedente distinctione per commata & colon juxta rationem Hebræorum accentuum, uti simpliciorē exhibet totius versiculi sensum, ita cum expositione, quæ hactenus data est, proximè convenit. Et talem Versionem proposuit Franzius, Schol. sacrific. patriarch. Disp. 15. §. 24. ubi hæc habet: *In Bibliis regis Benedicto Aria Montano procuratore editis, super Hebræa verba talis ponitur interlinearis Versio: Quia anima carnis in sanguine ipsa* (ad marginem ponitur *EST* pro *lō ipsa*) & ego dedi eum vobis, super altare ad expiandum super animas vestras, quia sanguis in anima (ad marginem *animam*) expiabit. Eadem verba sunt, sed non distinctio eadem.

dem.